

## Doc. I

1357, 12 marzo, Torba

*Agnese da Castiglione badessa e le altre monache del monastero di Torba investono a titolo di affitto per nove anni i canonici Guarnerio ed Opizzo fratelli da Castiglione di tutti i possedimenti e diritti spettanti al monastero, riservando a favore di quest'ultimo soltanto il vino prodotto nei territorii di Luvinate e di Barasso, e convenendo il relativo canone, parte in mistura di segale e di miglio ed in capponi, parte in denaro. Rog. notaio Bernardino da Castiglione, di Alberto.* (Archivio di Stato Milano, Religione p.a., Tradate, monastero Santo Sepolcro, cart. 3814, pergamenetta n. 1).

In nomine Domini anno a nativitate ejusdem millesimo trecennesimo quinquagesimo septimo indictione decima die dominico duodecimo mensis martii in monasterio ecclesie Sancte Marie de Torba, mediolanensis diocesis, ordinis S.ti Benedicti. Convocato et congregato ibidem capitulo seu conventu dicti monasterii more et loco solito pro hoc spetiali negotio explicando de mandato et impositione religiose mulieris d.ne d.ne Agnetis de Castelliono abatisse dicti monasterii. In qua quidem capitulo seu conventu aderant et fuerunt dicta domina Agnex abatissa et d.na Filipa de Martignonis et domina Stella de Castelliono et Margarita de Castelliono et Petrola de Bollate et Francischina de Modoetia omnes moniales et professe dicti monasterii prout ibidem dixerunt et protestate fuerunt ac expresse confesse. Omnes unanimiter et concorditer et nemine eorum discrepante, scilicet predicta d.na abatissa cum consensu et voluntate dictarum monialium et ipse moniales cum consensu et voluntate prefate domine abatisse suis propriis nominibus et item nomine dicti capitulo et conventus dicti monasterii et quoque nomine in solidum. Investiverunt nomine locationis ad benefaciendum meliorandum et non pejorandum discretos viros dominos Guarnerium de Castelliono prepositum de Habiascha et Ubizonem de Castelliono ejus fratrem canonicum de Castro Seprio ibi presentes et recipientes, utrumque eorum in solidum. Nominative de omnibus et singulis possessionibus, decimis et fictis, bonis, rebus et juribus quos et que predicta d.na abatissa et moniales nomine dicti monasterii habent et eis pertinent et spectant in quamcumque parte seu partibus, salvo et reservato vino, seu ficto vini quod habent et habere debent et solite sunt habere in loco et territorio de Lognate et de Barassio quod in se retinuerunt et retinent. Eo tenore quod de cetero hinc ad annos novem proxime futuros dicti d.ni Guarnerius et Ubbizo fratres conductores et uterque eorum in solidum habere debeant et tenere gaudere et possidere predicta omnia et singula superius locata et de predictis omnibus faciant quidquid facere voluerint sine predictarum dominarum abatisse et monialium et

cuiuslibet alterius personae contradictione, meliorando semper et non pejorando, dando et solvendo et dare et solvere teneantur et debeant proinde dicti d.ni Guarnerius et Ubbizo fratres conductores fictum omni anno suprascriptis dominabus abatisse et monialibus, suo et dicto nomine, de predictis possessionibus, decimis, fictis, bonis, rebus et juribus supra locatis, donec presens locatio durabit, modios centum viginti quatuor mixture sichallis et millii equaliter et libras octaginta quatuor tertiolorum in denariis factis, et capones viginti quatuor videlicet sichalem in quolibet festo S.ti Laurentii et millium in quolibet festo S.ti Michaelis, et denarios et capones in quolibet festo S.ti Martini, qua mixtura sit pulchra, vassa et sicha ad mensuram communis Mediolani, tracta et consignata in dicto monasterio de Torba cum omnibus expensis dampnis et interesse que fierent occurrent vel paterentur pro predictis bladis, denariis et caponibus petendis exigendis consequendis et habendis et cum quanto plurimum pretio valuerint et valerent predicta quolibet termino preterito. Renuntiantes exceptioni non debendi dicti ficti dicta occasione et non dicte hujus investiture et predictorum et infradictorum omnium et singulorum non ita actorum et factorum et omni probationi et defensioni in contrarium. Qua re predicti domini Guarnerius et Ubbizo fratres conductores promiserunt et guadiam dederunt et sese et sua bona pignori obligaverunt suprascriptis dominabus abatisse et monialibus locatoribus dare et solvere predictum fictum ut supra dictum est, cum omnibus expensis, dampnis et interesse qui pro eo fierent et sustinerentur in aliquo tempore agi contingenterit. Que omnia et singula fecerunt dicti domini fratres conductores ita ex eo acto quod ad premissa et quodlibet premissorum in solidum teneatur et cum effectu conveniri possit de toto et primo loco. Renuntiantes nove constitutioni qua cavetur quod unus ex reis conveniatur in solidum si alter sit prius solvendo et epistule Divi Adriani et privilegio sui fori et omni alio jure quo sumeri possit et etiam per pactum speciale omnibus feriis et dillatactionibus causarum et cuilibet interdicto earum, et quod dari non possint eis in solutum pro predictis vel aliquo predictorum cartas nec notas debiti communis Mediolani nec alterius communis, nec aliquid aliud nisi bonam pecuniam numeratam, etiam omnibus statutis consiliis provisionibus ordinamentis et legis (*recte: legibus*) factis seu de cetero fatiendis per comunem Mediolani vel per aliud comunem seu per aliam singularem personam in contrarium. Et constituerunt dicti d.ni Guarnerius et Ubbizo fratres conductores et uterque eorum in solidum se tenere et possidere vel quasi omnia sua bona res et jura nomine suprascriptarum dominarum abatisse et monialium locatorum suo et dicto nomine et pro eis ita quod adveniente casu petitionis faciende liceat et licitum sit dictis dominibus locatoribus suo et dicto nomine, sua auctoritate propria et sine servitore, banno et nuntio communis Mediolani, vel alterius communis, sine precepto alicujus judicantis, ubique accipere, robare, contestare, saxire, occupare, capere et detinere, in possessionem intrare et in solutum accipere, et retinere et vendere et alienare de bonis et rebus et juribus suprascrip-

torum fratrum conductorum et utriusque eorum in solidum usque ad plenam et completam solutionem et satisfactionem omnium predictorum. Et ob hoc non intelligatur quod eis in aliquo eorum vis et violentia facta sit et illata. Modo et ex converso predicte domine abatissa et moniales suo et dicto nomine promiserunt et guadam dederunt obligantes se et omnia sua bona pignori, et omnia bona res et jura dicti monasterii de Torba dictis dominis Guarnero et Ubbizoni fratribus conductoribus et utrique eorum in solidum predictam investitaram ratam et firmam habere et tenere et nullo tempore contrafaccere vel venire aliqua ratione vel causa, de jure nec de facto sub sestitutionem dampnorum expensarum et interesse litis et extra. Exinde rogaverunt me notarium infrascriptum ut de predictis publicum traderem instrumentum meum et plura. Actum in suprascripto monasterio de Torba presentibus pronotariis Petrino (?) filio q.dam Zanoli de Castelliono de loco Castelliono et Petrollo filio Malaballii de Carbonello de loco Carnago ambobus notariis. Interfuerunt ibi testes Laurentius filius q.dam Julii de Castelliono de loco Castelliono et Paganolus filius q.dam Beltramis Legoris de Lonà de loco Lonate Cepino et Ambrosius filius q.dam Guillelmi Spetialis de Legnano civitatis Mediolani porte vercelline par. s.ti Petri ad lntos noti omnes vocati et rogati. (L.T.) ego Bernardinus qui dicor senior de Castelliono notarius filius d.ni Alberti de loco Castelliono rogatus hanc cartam tradidi et subscrispsi.

## Doc. II

1452, 21 settembre, Mozzate

*Don Giovanni da Biumo, rettore della chiesa di S. Pietro, di Abbiate Guazzone, per mandato di don Carlo da Forlì, Vicario generale di Giovanni Visconti Arcivescovo di Milano, e ad istanza della badessa e delle monache del monastero di S. Antonino, di Luvinate, cui venne unito il monastero di S. Maria di Torba, coadiuvato dalla testimonianza di tre anziani abitanti del luogo, procede alla ricognizione ed alla presa in consegna di un sedime e di numerosi appezzamenti di terra siti in territorio di Mozzate e rivendicati dalle monache di Torba che li ritengono usurpati (dai Castiglioni, che però non vengono nominati). Il sedime e gli appezzamenti vengono dettagliatamente identificati, coerenzianti ed approssimativamente misurati. Rog. notaio Opizzo da Castiglione q.dam Pagano, di San Martino, pieve di Appiano. (Archivio Stato Milano, Religione p.a., Tradate, Monastero Santo Sepolcro, cart. 3814, pergamena n. 12 e trascrizione settecentesca).*

In nomine Domini anno a nativitate ejusdem millesimo quadrigentesimo quinquagesimo secundo indictione prima die jovis vigesimo primo mensis septembbris.

In loco de Mozzate plebis Aplani ducatus Mediolani in platea dicti loci in publica vicinantia ibidem convocata sono campane more solito de impositione discreti viri Johannis de Galiis consulis et officialis ejusdem loci de Mozzate. Cum ex parte reverendi in Christo patris D. D.

Caroli de Forlivio licentiati in jure canonico prioris monasterii S.ti Majoli papiensis ordinis cluniacensis, r.mi in Christo patris D. D. Johannis Vicecomitis misericordia divina sancte mediolanensis Ecclesie Archiepiscopi vicarii generalis, ad instantiam et petitionem d.d.ne abbatisse monialium et conventus S.ti Antonini de Padua de loco Lognate plebis Varisii jam dicti ducatus Mediolani cui monasterio auctoritate apostolica unitus fuit et est monasterium S.te Marie de Turba plebis Castri Seppii dicti ducatus Mediolani, asserentium ejusdem nomine monasterii predicti S.te Marie de Turba in dicto loco et territorio de Mozate pertinere et spectare varia et diversa bona immobilia, domos videlicet sedimina et terras cultas et incultas, vineas prata buscos et zerbos et alia jura quorum et quarum nomina, fines terminos numerum perticarum et coherentias ipsa abbatissa et moniales ignorant et dubitant ut usurpentur. per dominum presbiterum Johannem de Biumio rectorem ecclesie S.ti Petri de Habiate Guazono dicte plebis Castri Seppii in hac parte nuntium specialem prefati d.ni Vicarii ad hoc specialiter deputatum litteras suas suo sigillo munitas et autenticatas per me notarium infrascriptum visas et lectas vigore et in executione dictarum litterarum, preceptum sit consulibus hominibus et singulis personis dicti loci de Mozate quatenus dicti consules homines et singulares persone dicti loci de Mozate sub excommunicationis pena infra diem unum naturalem post presentationem seu notificationem dicti mandati elligisse debuissent duos vel tres ex melioribus et antiquioribus ac melius informatis habitatoribus ejusdem loci et melius scientibus domos sedimina proprietates et jura pertinentes et pertinentia dicto monasterio de Turba in predicto loco et territorio de Mozate, eosque sic electos cogerent ad jurandum et quod jurarent ad Sancta Dei Evangelia manibus corporaliter tactis scripturis in manibus ejusdem d.ni presbiteri Johannis suprascripti de eundo una hora cum predicto d.no presbitero Johanne de Biumio ut nuntio in hac parte prefati d.ni Vicarii per locum et territorium de Mozate suprascripta et quascumque domos sedimina proprietates terras et jura cuiuscumque generis et massericis predicto monasterio de Turba pertinentes et pertinentia bona fide sine fraude, remotis odio, ira, amore, timore, prece, pretio, amicitia et inimicitia, speciali proficuo et dampno et omnibus aliis que possent homines a via veritatis quomodolibet deviare ipsi d.no presbitero Johanni nuntio ut supra quod situm, fines, nomina, coherentias et numerum perticarum et cum omnibus eorum juribus et pertinentiis intimasse et notificasse, consignare et in scriptis dedisse debuissent. alioquin modo predicti consules et homines predicti loci de Mozate ut supra volentes parere dicto precepto eis facto modo quo supra elligerunt et dederunt et dant dicto d.no presbitero Johanni de Biumio suprascripto in hac parte nuntio speciali ut supra continetur discretos viros Pedrinum de Coliate filium q.dam d.ni Johannis, Christoforum de Cairate filium q.dam Antonii et Johannem dictum Boganum de Carcano filium q.dam Simonis, omnes tres habitatores suprascripti loci de Mozate tamquam homines bone conscientie Deumque timentes et bene informatos de

suprascriptis ut supra continetur. qui juraverunt ad Sancta Dei Evangelia manu corporaliter tactis scripturis in manibus suprascripti d.ni presbiteri Johannis de Biumio in hac parte nuntii spetialis prefati d.ni Vicarii et recipienti nomine et vice et ad partem et utilitatem suprascriptarum d.ne abbatisse et monialium S.ti Antonini de Padua de dicto loco Lognate ut supra intimando notificando et in scriptis dando ipsi d.no presbitero Johanni nomine predicto dicta bona et jura dicto monasterio spectantia et pertinentia in eo loco de Mozate et territorio per situm, fines, coherentias et numerum perticarum bona fide, sine fraude, remotis odio, amore et timore et spetiali proficuo et dampno et omnibus hiis que possent eos deviare a veritate et sic prestitis huiusdem sacramentis predicti Pedrinus de Coliate, Christoforus de Cairate et Johannes dictus Boganus de Carcano superius electi et jurati inerunt per locum et territorium suprascripti loci de Mozate una hora cum suprascripto d.no presbitero Johanne de Biumo neenon una hora cum venerabile domina abbatissa suprascripti monasterii S.ti Antonini de Padua de dicto loco Lognate intimaverunt consignaverunt et in scriptis dederunt et dant dicto d.no presbitero Johanni de Biumio recipienti nomine quo supra infrascripta bona immobilia sita et jacentia in loco et territorio de Mozate predicto tamquam bona pertinentia et spectantia predicto monasterio de Turba, que bona sunt haec et sic terminant et coherentiant ut infra,

in primis sedimen unum fere totum ruinatum et dirupatum jacentem in dicto loco de Mozate, ubi dicitur ad puteum, quod est cum suis dirupamentis et cassio uno domus cupato, et aliis suis juribus et pertinentiis cui coheret ab una parte strata et ab aliis magnifici d.ni Guarnerii de Castillione,

item petia una campi ubi dicitur super strata Mediolani cui coheret a duabus partibus strata, ab alia heredum q.m Danielis de Caimis et ab alia accessum et est perticarum quinque vel circa,

item petia una campi ubi dicitur super mezanella, cui coheret ab una parte strata mezanella, ab alia heredum q.m Fatioli Crivelli, ab alia scola S.ti Mobilii [sic] Mediolani et ab alia Antonii de Carcano et est perticarum duarum vel circa,

item petia una campi ibi proxima ubi dicitur in arborestella cui coheret ab una parte suprascriptorum heredum q.m Fatioli Crivelli, ab alia suprascripti Antonii de Carcano et ab aliis Mutoli de Carcano et est perticarum duarum vel circa,

item petia una campi ubi dicitur ad pilastrellum cui coheret ab una parte strata, ab alia prefati magnifici d.ni Guarnerii de Castellione et ab aliis Johannis de Caimis et est perticarum tres vel circa,

item petia una campi ibi prope ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia flumen Gulzentis, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castellione et ab alia Zuachini de Maineriis et est perticarum septem vel circa,

item petia una campi ubi dicitur in solti cui coheret ab una parte strata, ab alia supr.ti Antonii de Carcano, ab alia prefati d.ni Guar-

nerii de Castelliono et ab alia heredum q.m Constantis de Caimis et est pertica una vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia scola S.ti Mobilii (?) Mediolani, ab alia supr.ti Mutoli de Carcano et ab alia strata et est pertica una vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur in limidi cui coheret ab una parte strata, ab alia Antonii de Carcano et ab aliis sup.ti Mutoli de Carcano et est perticarum quinque vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia sup.ti Antonii de Carcano et ab aliis sup.ti Mutoli de Carcano et est perticarum sex vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ad viganam de S.to Martino cui coheret ab una parte sup.ta vigana, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono ab alia heredum q.m d.ni Francisci de Caimis et ab alia communis de Mozate et est perticarum decem vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ad gironum buxelle cui coheret ab una parte strata, ab alia sup.ti communis de Mozate, ab alia scola S.ti Mobilii (?) de Mediolano et ab alia sup.ti Mutoli de Carcano et est perticarum duarum vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur super traversania grumi cui coheret ab una parte strata, ab alia heredum q.m Danielis de Caimis et ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum tres vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur super grumo cui coheret ab una parte sup.torum heredum q.m Danielis de Caimis, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum septem vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur in grumo cui coheret a duabus partibus prefati d.ni Guarneri de Castelliono et ab aliis strata et est perticarum sex vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur in garliago cui coheret ab una parte strata, ab alia ecclesia S.ti Alexandri de Mozate, ab alia Antonii de Carcano et ab alia Mutoli de Carcano et est perticarum duarum vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte heredum q.m Constantis de Caimis, ab alia Agabidi de Aplano, ab alia strata et ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum quatuor vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur in garliago cui coheret ab una parte prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et ab alia Antonii de Carcano et ab aliis Bertole de Coliate et est perticarum tres vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur in via nova cui coheret ab una parte strata, ab alia Ravazani de Habiate Guazono et ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum quinque vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia capelani de Venegono, ab alia heredum q.m Constantis de Caimis et ab alia Moli de Venegono et est perticarum duarum vel circa,

item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte heredum q.m Ambrosii de Caimis, ab alia capelani de Venegono, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et ab alia strata et est perticarum viginti duarum vel circa,

item petia una campi ubi dicitur ad viganam de Magizate cui coheret ab una parte suprascripta vigana, ab alia strata, ab alia Agabedi de Habiate Guazono et ab alia Petri de Maineriis et est perticarum quatuordecim vel circa,

item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte suprascripti Petri de Maineriis, ab alia Corrini de Carcano et ab aliis strata et est perticarum quatuor vel circa,

item petia una campi ubi dicitur in garazio cui coheret ab una parte Michaelis de Lampugnano, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia strata et ab alia vigana de Carbonate et est perticarum septem vel circa,

item petia una campi ubi dicitur ad corbum cui coheret ab una parte capelani de Venegono et in parte Guidini de Carnevariis, ab alia Michaelis de Lampugnano et ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum viginti quinque vel circa,

item petia una campi ubi dicitur super mezanella cui coheret ab una parte strata, ab alia heredum q.m Ambrosii de Ripa et ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum tres vel circa,

item petia una campi ubi dicitur in pizallo cui coheret ab una parte prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia Johannis de Campnago, ab alia strata et ab alia Antonii de Carcano et in parte heredum q.m Fatioli Crivelli cum arbore una supra et est perticarum sex vel circa.

item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia capelani de Venegono, ab alia Mutoli de Carcano et ab alia Andrioli de Coliate et est perticarum tres vel circa,

item petia una campi ubi dicitur in via molandini cui coheret ab una parte strata, ab alia Petri de Maineriis, ab alia capelani de Venegono et ab alia Francisci de Comitibus et est perticarum quinque vel circa,

item petia una campi ubi dicitur ad Sanctum Petrum cui coheret ab una parte ecclesia S.ti Petri, ab alia strata, ab alia Michaelis de Lampugnano et ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum quindecim vel circa,

item petia una campi ubi dicitur in via molandini, cui coheret ab una parte via molinaria, ab alia capelle S.ti Bartolamei de Mozate et ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum quinque vel circa,

item petia una campi ubi dicitur in alboredo cui coheret ab una parte heredum q.m Francisci de Caimis, ab alia Mutoli de Carcano et ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum sex vel circa,

item petia una campi ubi dicitur ad ecclesiam cui coheret ab una parte strata, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et ab aliis Guidini de Carnevariis et est perticarum quatuor vel circa,

item petia una vinee et campi simul se tenentium ubi dicitur in creda cui coheret ab una parte accessum, ab alia Johannis de Campnago et

ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum septem vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia Ravazani de Habiate Guazono, ab alia heredum q.m Constantis de Caimis et ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et in parte heredum q.m Danielis de Caimis et est perticarum tres vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia Francisci de Venegono et ab aliis prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum tres vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia heredum q.dam Danielis de Caimis et est perticarum duarum vel circa,  
item petia una campi, zerbi et buschi ubi dicitur in schina cui coheret ab una parte Agabedi de Aplano, ab alia Mutoli de Carcano, ab alia strata et in parte d.ni Guarnerii de Castelliono et ab alia heredum q.m Fatioli de Crivellis et est perticarum septuaginta vel circa.  
item petia una buschi ibi proxima ubi dicitur in valle pratorum cui coheret ab una parte illorum de Carcano, ab alia strata et ab alia horum bonorum et est perticarum duodecim vel circa,  
item petia una campi ibi prope ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte horum bonorum, ab alia strata, ab alia Corrini de Carcano et ab alia flumen et est perticarum quatuordecim vel circa.  
item petia una campi ubi dicitur in valle pinialberti (?) cui coheret ab una parte flumen Gulzentis, ab alia strata, ab alia heredum q.m Constantis de Caimis, ab alia Corrini de Carcano et est perticarum octo vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte flumen Gulzentis, ab alia Petri de Caimis, ab alia Bartole de Coliate et ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum viginti duo vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur in braida cui coheret ab una parte prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia heredum q.m Francisci de Cainis et ab aliis strata et est perticarum novem vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia Corrini de Carcano et ab alia capella S.ti Bartolamei de Mozate et est perticarum decem vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia communis de Mozate et ab aliis Guidini de Carnevariis et est perticarum sex vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte strata, ab alia communis de Mozate et in parte prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia capella S.ti Bartolamei de Mozate et ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono et est perticarum quadraginta vel circa,  
item petia una campi ubi dicitur ut supra cui coheret ab una parte accessum, ab alia strata, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono

et ab alia herendum q.m Constantis de Caimis et est perticarum trigesita sex vel circa,

item petia una campi ubi dicitur post cerros cui coheret ab una parte strata, ab alia prefati d.ni Guarnerii de Castelliono, ab alia capelle S.ti Bartolamei de Mozate, ab alia dominorum de Vicecomitibus et est perticarum sex vel circa,

item petia una campi ubi dicitur in cadregnano cui coheret ab una parte strata, ab alia ... [*lacuna nella pergamena*] ... et ab alis illorum de Caimis et est perticarum tres vel circa,

item petia una selve et buschi cum fosso circumquaque ubi dicitur ad viganam de Mozate cui coheret a tribus partibus strata, ab alia ... [*lacuna nella pergamena*] ... et est perticarum sedicim vel circa,

item petia una brugarie super strata molinaria de Gorla Majori cui coheret ab una parte strata molinaria, ab alia Corrini de Carcano, ab alia Johannis de Soma et ab alia Johannis de Monetariis et est perticarum centum vel circa.

Salvo semper errore coherentiarum et vero numero perticarum.

Et semper cum reservatione quod si per oblivionem vel aliquam ignorantiam ipsi electi et jurati ut supra non integre et vere consignassent vel in aliqua parte erassent quod semper et in omni tempore eis liceat de novo consignare et in scripturis dare et omnia suprascripta corrigere et emendare iuxta veritatem et meliorem ac saniorem informationem quam de hiis omnibus suprascriptis habere contingat.

De quibus omnibus et singulis suprascriptis ipsa domina abbatisa et d.nus presbiter Johannes de Biumio necnon dicti Pedrinus de Coliate, Christoforus de Cairate et Johannes dictus Boganus de Carcano superius electi et jurati rogaverunt me Opitum de Castelliono notarium publicum ut in valida et solemni forma confitiam instrumentum unum et plura ejusdem tenoris si et quando fuerit opportunum.

Actum in dictis bonis superius terminatis coherentiat et consignatis.

Interfuerunt ibi testes Johannes de Campnago filius q.m d.ni Inselmi P. N. parochie S.ti Protasii ad monacos, Johannis de Comitibus filius q.m d.ni Aluisii et Gasparris de Carnevarii filius q.m magistri Jacomoli ambo habitantes in loco de Cistellago plebis Olgiate Olone dicti ducatus Mediolani omnes testes noti idonei et specialiter ad predicta rogati.

(subscriptio cum signo tabelionatus anteposito) Ego Opitius de Castelliono filius q.m d.ni Pagani habitans in loco S.ti Martini plebis Aplani duc. Mediolani publicus imperiali auctoritate notarius rogatus a partibus hanc suprascriptam consignationem tradidi scripsi et in fide premissorum me subscrispi.

Doc. III  
(estratto dalla copia settecentesca)

1464, 15 novembre, Milano

*Avanti don Lancillotto dei conti di Mede, Vicario generale di Stefano (Nardini) Arcivescovo di Milano e sedente quale giudice del tribunale diocesano, Jacopo da Monza, procuratore della badessa e delle monache del monastero di Torba, concede in enfiteusi perpetua ad Antonio da Carcano, cittadino milanese, i beni di Mozzate e di San Martino di proprietà del detto monastero contro un canone livellario annuo di 26 moggi di mistura di segale e di miglio e sei moggi di frumento, con tutte le clausole, impegni di miglioramento, rinunce, divieti e garanzie del caso. Rog. notaio Gio Pietro Ciocca, cancelliere della Curia arcivescovile.*

[Si omettono, per brevità, *sotto A*, l'elencazione dei beni che sono gli stessi del doc. II, mancando tuttavia un centinaio di pertiche di terreno, la maggior parte delle quali riguarda la « brughiera » di cui all'ultimo appezzamento dell'atto del 1452; *sotto B*, il carteggio relativo al benestare del duca Francesco Sforza chiesto ed ottenuto dal procuratore del monastero; *sotto C*, una lunga serie di clausole relative ai miglioramenti, al divieto di alienazione dell'utile dominio enfeudato, ai privilegi del foro ed alla liquidità dei mezzi di pagamento].

(Archivio Stato Milano, fondo notarile, notaio Gio. Pietro Ciocca - filza 1325, sub die; copia settecentesca, autentica, in A.S.M. - Religione p.a. - Tradate, Monastero S. Sepolcro - cart. 3815).

In nomine Domini anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto indictione tertiadecima die jovis quintodecimo mensis novembris. coram venerabili viro domino Lanzaloto ex comitibus Mede juris utriusque doctore, canonico novariensi, rev.mi in Christo patris et d. d. Steffani miseratione divina S.te mediolanensis Ecclesie Archiepiscopi vicario generali pro tribunali sedente super quodam banco posito in domibus archiepiscopalibus Mediolani sitis in P. O. par. S.ti Pauli in Compedo Mediolani, quem locum et quod bannum pro ejus loco et tribunale idoneis idem d. Vicarius elegit et elligit n. hac parte. constitutis Jacopo de Modoetia sindico et procuratore sindicario et procuratorio nomine d. ne abatisse et conventus monasterii S.te Marie de Turba mediolanensis diocesis ordinis S.ti Benedicti per instrumentum rogatum per Paulinum de Ursinis notarium mediolanensem habitantem in burgo Varisii anno presenti indictione duodecima die veneris undecimo mensis maii, seu anno indictione et die in eo contentis ex una et d.no Antonio de Carcano filio q.dam d.ni Donati P. C. par. S.ti Thome in terra amara M.lni ex altera partibus. partes ipse suo et dicto nomine prefato d.no Vicario exposuerunt et exponunt prout etiam alias exposuisse asserunt, videlicet quod ipsa

abatissa et conventus dicti monasterii habent infrascripta bona que sic terminantur et coherentiantur videlicet:

(omissis A)

que bona satis inordinata et incomposita existunt et que magna et celleri egent reparatione ad quam ipsa abatissa et moniales ac conventus ac dictum monasterium impotentes existunt de presenti et ex quibus facti simplicis nomine haec tenus ultra modiorum viginti quatuor mixture sicalis et milii equaliter in anno minime perceptum fuit velletque dictus d.nus Antonius ipsa bona in emphiteusim perpetuam seu libellario nomine usque in perpetuum conducere ab ipsis d.na abatissa et conventu et de ipsis factum libellarium ad computum modiorum vigintisex mixture sicalis et milii equaliter et modiorum sex frumenti annuatim ipsis et pro tempore d.na abatisse, monialibus et conventui predicti monasterii et ipsi monasterio facere et prestare dummodo bona ipsa eidem pro se suisque heredibus et successoribus in emphiteusim perpetuam seu libellario nomine concedantur et quod concessio emphiteutica hujusmodi, si fiat, in evidentem monasterii predicti utilitatem redundabit, quare ab eodem d.no Vicario humiliter postulatur quatenus eidem Jacobo dictis nominibus faciendi concessionem emphiteuticam hujusmodi licentiam concedere dignaretur. prefatus autem d.nus Vicarius qui ut dixit de premissis omnibus et singulis eorum circumstantibus universis informationem habuit diligentem et per informationem hujusmodi vera esse, prout sibi superius expositum fuit, invenit et concessionem emphiteuticam hujusmodi si fiat in evidentem prefati monasterii utilitatem cedere eidem Jacobo dicto nomine faciendi concessionem emphiteuticam hujusmodi licentiam concessit et concedit et liberam facultatem, qua sic obtenta et obtentis litteris ducalibus tenoris hujusmodi videlicet:

(omissis B)

quare dictus Jacobus de Modoetia sindacus et procurator antedictus dictis nominibus, ratione et nomine monasterii predicti investivit in emphiteusim seu libellario nomine usque in perpetuum prefatum d. Antonium de Carcano ibi presentem et pro se suosque heredes et successores stipulantem et recipientem ac se investientem et obligantem ut infra videlicet de suprascriptis bonis superius terminatis et coherentiat, item de omnibus et singulis axiis, accessis, ingressibus et regressibus, usibus, viis, utilitatibus et comoditatibus predictis bonis ac ipsis d.ne abatisse, monialibus et conventui ac dicto monasterio pro eis pertinentibus et spectantibus. salvo errore coherentiarum et numeri perticularum si quis adest. eo tenore quod a festo S.ti Martini proxime futuri usque in perpetuum predictus d.nus Antonius et sui heredes et successores habeant teneant et titulo presentis concessionis emphiteutice gaudеant et possideant predicta bona et jura superius in emphiteusim concessa et de eis et in eis faciant et facere possint

suam utilitatem et quidquid natura talis contractus emphiteutici postulat propterea meliorando semper et non pejorando, dando solvendo et consignando et quod dare solvere et consignare teneantur et debeant predictus emphiteuta et sui heredes et successores singulo anno usque in perpetuum in quolibet festo S.ti Martini finis cuiuslibet anni dictis dominabus abatisse, monialibus et conventui dicti monasterii et dictis monialibus et earum monasterio modios viginti sex mixture sicalis et milii equaliter et modios sex frumenti cum omnibus expensis dampnis et interesse que fierent vel quomodolibet paterentur pro predicto ficto libellario seu canone petendo et exigendo vel ab alio recuperando termino predicto elapso, que omnia et singula facta fuerunt et fiunt cum et sub infrascriptis pactis et conditionibus in principio medio et fine presentis contractus et per totum hunc contractum positis et firmatis, videlicet:

(omissis C)

quibus omnibus et singulis prefatus d.nus Vicarius pro tribunali sedens et supra suam et prefati rev.mi d.ni Archiepiscopi auctoritatem interposuit et interponit solemniter et decretum et de predictis rogatum fuit per me notarium cancellarium suprascriptum publicum dedere confici instrumentum quod ad cautelam idem d.nus Vicarius sigilli pontificali prefati rev.mi d.ni Archiepiscopi jussit appensione muniri.

Actum in predictis domibus archiepiscopalibus presentibus ibidem venerabilis et discretis viris d.no fratre Ambrosio de Lampugnano ministro hospitalis novi Mediolani, Joanne de Rubeis de Seregno filio d.ni Joannoli P. R. par. Monasterii Lentasii et Melchione de Habiate filio q.dam Bartolomei P. R. par . S.ti Andree ad murum ruptum Mediolani testibus idoneis ad hec vocatis spetialiter et rogatis.

(subscriptio cum signo tabellionatus anteposito)